



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

6. Ejusdem Hadriani in gratiam Caroli M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

VI. *Anno DCC LXXIX.* Carolus Magnus Ticino expugnato, Rege Desiderio capto, delectoque Regno Longobardorum, quod annis ducentis steterat, Patritij Romani dignitate ab Hadriano Pontifice augetur; hâc Imperio aptabatur. Constantinus Augustus præcipuè Patritij dignitatem extulerat, primâ post Casares, majorique Præfecturâ Prætorij. Patres Imperatorum dicebantur; si bellum inferendum, si pax fancienda, aut alia Imperij cura, primum cum Patritijs consilium: paludamentum humeris injectum, annulus dextro indici insertus, caput aureo circulo revinctum, picti calcei, sublimisque Sella insignia Patritij erant. Ejusque officium & curæ, tueri populum, hostes repellere, urbemque gubernare; tantique fuit, Patritium esse, ut non à Romanis solùm ea Dignitas, sed ab exteris etiam Principibus peteretur, eamque Theodorico Gothorum Regi datam à Zenone legimus. Vide (a) Cantelium, & Cassiodorum (b) de Patritij dignitate, Adelmum (c) verò, Sigebertum (d) & ex hoc (e) Gratianum, qui hujus in Carolum collatæ meminerunt.

VII. *Anno DCCC.* Contigit celebris illa Occidentalis Imperij in Francos translatio, auctoritate Leonis III. Pontificis Max. facta. Ejus translationis seriem & narrationem in Regali Sacerdotio descriptam habes, nec mihi animus est repetere illic dicta. Solum observa, eum tunc temporis Romanæ Ecclesiæ statum fuisse, ut meritò Romanus Pontifex huic Translationi animum adiecerit. Italia quadringentos ferè annos sub Gothorum & Longobardorum dominatu gemuerat, nunc à Græcis, nunc à Gothis, nunc à Longobardis; jam civili, jam externo Marte sædata, & quod acerbius erat, cum Ariana, cum Iconoclastica hæresi toties collisa, & tantùm non victa. Quoties ad Romæ portas nunc Luitprandi, nunc Aistulphi, nunc Desiderij classicum sonuit? quoties accensæ à Barbaro faces Urbi delendæ? quoties necando Pontifici nunc insidiæ, nunc venenum, nunc Sicarius à Græco immissus? Et quamvis & Pipini, & Caroli M. armis respirasse Italia ac Roma viderentur, Longobardis planè delectis: ut primum tamen in Franciam redibant, nova iterum bella, nova pericula

(a) Cantel. p. 1. diss. 2. c. 4. (b) Cassiod. l. 8. ep. 9. & seqq. (c) Adelm. ad ann. 801. (d) Sigeb. in Chron. ad ann. 774. (e) Grat. in c. Hadrianus & seqq. d. 63.